



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 31. Ludovicus Bavarus in Italia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

sive Cleri gratuito agant, posthabitis sanctionibus contrariis.

sæcul. XIV.
A. C. 1327.

§. XXXI.

Ludovicus Bavarus in Italia.

Priore anno 1326 Rex Neapolis Robertus Carolum Calabriæ Ducem suum filium natu majorem cum magno Nobilium numero validisque copiis Florentiam miserat Papæ ac Guelforum partes defensurum. Territi ea re Gibellini & parvi Hetruriæ ac Lombardiæ Tyranni mense Januario 1327 in Germaniam legarunt, qui Ludovicum Bavarum Imperatorem ad ferendas ipsis suppetias permoverent. Is Tridentum delatus, mense Februario ibi comitia celebrabat; quibus intererant omnes Gibellinorum Duces; inter alios Guido Tarlatus Aretinus Episcopus. His in comitiis jurabat ille se aditurum Italiam, nec in patriam reversurum, antequam Romæ fuisset.

J. VIII. l. 10.

c. 1.

c. 17.

Divulgabat inibi Papam Joannem XXII esse hæreticum ac indignum summo pontificatu: & sexdecim errores illi exprobrabat de consilio præsentium. Aderant vero complures Episcopi, & alii Præsules, multi Fratres Minores, Dominicanique, & Augustiniani, Magister Equitum Teutonicorum, atque omnes schis-

fchis-

Secul. XIV. schismatici. Potissimum arguebatur Pa-
A. C. 1327. pa, quod esset inimicus paupertatis Chri-
 sti, contendens eum habuisse rem pro-
 priam. Imperator negligens anathema-
 ta identidem coram se divinam rem per-
 agi, & Papam proscribi jubebat, quem
 per ludibrium vocabat Presbyterum Joan-
 nem. Decima tertia Martii anno 1327
Cor. p. 469. relicta urbe Tridento, superatis montibus
 Comum, & inde Mediolanum venit, quod
 intravit 13 Maji.

J. Vill. c. 20. Ejus adventus totam commovit Ita-
 liam, ac præcipue Romam, cujus cives
 Papam & hujus curiam abesse molestissi-
 me ferentes Nobilium Ordini regimen
 adimebant, ne is urbem Regi Roberto
 traderet. Igitur Sciarram Columnam
 declarabant populi Romani Ducem, ut
 civitatem regeret de consilio quinquagin-
 ta duorum ex numero suo. Per Lega-
 tos Avenionem missos orabant Papam, ut
 cum sua curia veniret Romam, & ibi se-
 dem figeret, sicut deberet: alioquin se
 Ludovicum Bavarum veluti Regem suum
 recepturos esse. Simul autem mittebant
 Nuncios ad Ludovicum, ac Regem Ro-
 bertum: & utrique significabant, se ur-
 bem ipsi destinare. Tam subdolo agendi
 modo cogitabant Romam reducere Pa-
 pæ Aulam, & divitias, quas hæc attra-
 heret.

Papa

Papa simili utens artificio simulabat se velle Romam reverti : ut indicat in epistola 20 Jan. data, qua respondens ad primam Romanorum civium invitationem causatur se negotiis urgentibus detineri, quin etiam Italiae pacandae studio. Rex Robertus tanquam Romae Senator eo miserat Pandulfum Anguillarise Comitem, & Annibaldum de Annibaldis tanquam Praetores suos, qui Papae scripserunt litteras, ubi ajunt : Bavariae tyrannus tuam urbem per vim ingressurus illam versus procedere dicitur. Populus Romanus eum pro hoste habet : & nos pro Sanctitate tua & pro Ecclesia fortiter contra illum stare decrevimus, etiam si tormenta nobis subeunda essent. Papa 8 Junii officiosam iterum responsionem reddidit ; immo etiam ad urgentem epistolam, quam ei miserant per Matthaeum de Urfinis ex Ordine Praedicatorum, postea Cardinalem.

Secul. XIV.

A.C. 1327.

Rayn. n. 4.

n. 5. 6. 7. 8.

§. XXXII.

*Indulgentia pro Salutatione Angelica
vesperi recitata.*

Interim Papa Romanos solaturus, vel aliam ob causam confirmavit noxarum veniam novem abhinc annos concessam iis, qui quotidie vesperi recitent Salutationem